



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Materia Lectionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

qui exemplo suo præceat, & instruat: & Consolatorem, in difficultatibus occurrentibus præsentiam suam & consolatione roborer, & soletur, habere.

Confidera III. Cum opera Sacerdotis hoc ipso, quod vino Ministerio immediatè sit consecratus, ex se præstantiora longè sint, quàm aliorum hominum, quàm æquum est, ut, quemadmodum etiam sæculares Artifices majorem diligentiam in preciosioribus operibus adhibent, in quoque omnem conatum in quotidianis tuis actionibus perfecte obeundis præstes, illud S. Davidis 1. Paralip. c. 29. modo usurpauit: *Totis viribus preparavi impensius domini* (seu opera mea quotidiana perfeci) *non enim mihi preparatur habitatio (& actio) sed Deo.* Colloquere ad Christum, pro Spectatore, Adjutore, Magistro, Consolatore, & Præmiatore denuò ipsum eligendo.

Materia Lectionis.

Ex libro 2. de imitatione legi hoc die poterit cap. 1.

Ex libello Exercitiorum verò legi possunt Regulae de actione; non quidem eo fine, ut status (si quidem jam electus sit) de novo eligatur, sed ut in alijs etiam occurrentibus negotijs adhibeantur; modò omnia semper eligens metatur ex Dei honore, nullo habito respectu ad proprias conditiones, maximè temporales, ut intentio semper in Deum directa sit, nec ob aliquid terrenum inflectatur.

Præcipuè autem S. Ignatius has regulas circa emendationem & ordinationem status observandas esse ait, ita, ut in his qui matrimonio junctus, vel officio dignitatis Ecclesiæ adstrictus est, regularum harum adminiculo, sedulo colligat, quàm amplam domum & familiam æquum sit habere: quibus eam modis tractare & administrare conveniat, quibus instruere verbis & exemplis: quantum præterea possessis facultatibus sumptum facere liceat in usus proprios vel domesticos: quid rursus pauperibus erogare, vel impendere pijs operibus deceat, nihil affectando aliud, quàm quærere, nisi quod honorem Dei, & salutem suam præcipiat. Hoc enim unusquisque sibi persuasum habeat, tantum se studijs spiritualibus promoturum esse, quantum ab amicitia sui ipsius, & commodi proprii affectione sese abstraxerit.

Cæterum ipsas regulas, modumque eligendi, & alia ad electionem ritè instituendam pertinentia partim in ipso libello Exercitiarum, partim in parte prima hujus instructionis fufius legi possunt.

Materia Scriptionis.

Cùm nihil æquè necessarium & decens videatur, quàm ut dignitatem statûs sacerdotalis, & vocationis suæ excellentiam ritè cognoscat Sacerdos, ne alioqui de ipso dici queat, quod S. David de homine dignitatem suam non cognoscen- te pl. 48. dixit: *Homo (& Sacerdos) cùm in honore esset, non intellexit, propterea comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Meritò consultum videtur, ut semper in memoria, aut certè ad manum habeat breviusculas quasdam sententias, quibus SS. Patres sacerdotalis dignita- tis magnitudinem exprimere sunt conati, quare non inuti- lem laborem suscipiet, si hodie paucas ejusmodi sententias sibi conscribat, quales exempli gratiâ sequentes esse possunt.

I. Sacerdotium est summa bonorum omnium, qua in homi- nibus consistunt. S. Ignatius ad Smyrn.

II. Qui bene præsumt, Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina: S. Paulus 1. Tim. c. 5.

III. Tantum interesse debet inter Sacerdotem & quem- libet virum probum, quantum inter calum & terram di- scriminis est. S. Isidorus Pelus. l. 2. ep. 205.

IV. Quanto anima corpore præstantior est, tanto est sacer- dotium Regno excellentius. S. Clemens l. 2. c. 34.

V. Aurum non tam pretiosus est plumbo, quàm regia po- testate altior est dignitas sacerdotalis. S. Ambrosius l. 2. de dign. dist. 36.

VI. Verè veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius velut in utero matris incarnatur. S. Augustinus hom. 2. in pl.

VII. Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculatè custodiat. S. Chrysostomus hom. 15. in Matt.

VIII. Honorate Sacerdotes, ut Patres, ut Dominos, ut be- neficos,